tuum et progenies tua quasi herba terrae »; — i. e. experieris reipsa et videbis sobolem numerosam; comparatio ad incrementum exprimendum apta est neque a specie et amoenitate aliena, quippe cum herba viridis mirifice recreet intuentes (*Cord.*); similes comparationes cf. Ps. 127 3; 143, 12. Statum prosperitatis futurae ad Iobi fatum delineandum accommodat. Unde *Pin.* : « tu modo, o Iob, squalles velut inanis ac vacua terra, omni honore spoliata, sed herbescens florebis, vestieris floribus, proferes uberrimos fructus, ornaberis filiis, opibus ».

Demum plenus dierum et omni bonorum genere satiatus placidam mortem obibit ; ita cumulum bonorum quae optimo cuique hisce in terris obveniant, absolvit Eliphaz v. 26 « *ingredieris in abundantia sepulchrum* »; — i. e. in abundantia aetatis et annorum, maturus[1] et satur dierum (*Vav. Sa, Mar. Tir. Men. Le Hir*), id quod a veteribus exoptabatur, qui mortem immaturam maximum censebant infortunium ; cf. Is. 38, 10. Ps. 54, 24 « viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos », dum de priscis pietatis heroibus dicitur : (Abraham) mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum Gen. 25, 8. Hanc aetatis maturitatem illustrat comparatio « *sicut infertur acervus tritici in tempore suo* »; — i. e. plane maturus, quando tempore debito in campo fuerit, proinde eo tempore, quando ipsa natura postulante fieri oportet, uti messis deportetur in horreum. כָּלָה[2] non occurrit nisi hic et 30, 2; in utroque loco *vulg.* sensum bene expressit. Hebr. *sicut ascendit acervus frugum suo tempore.*

Tandem Iobo commendat, ut doctrinam expositam, utpote veram et multa experientia probatam, alta mente reponat et apud se condat v. 27 « *ecce hoc, ut investigavimus ita est; quod auditum, mente pertracta* » ! — hebr. *ecce haec investigavimus; ita sunt; audi ea et tu scito tibi*; i. e. disce monitus et in tuam converte utilitatem. Quasi amicorum nomine loquitur *investigavimus* i. e. studiose et operose multa cum consideratione rerum et eventuum hanc doctrinam nobis comparavimus. Dictis suis conciliat pondus et auctoritatem. Bene *Phil.* : « quaecumque a me tibi dicta sunt, diligenter investigata vera noveris, quae ipse ad emendationem tuam debes corde percipere ».

---

1. *B.* mutat in *bikh' lot' kha* (כָּלָה); sed aliquem *morte absumptum* sepeliri, per se patet.

2. *Chald.* vertit « in perfectione annorum tuorum »; *Syrus* « tranquille »; unde etiam coniectura a *B.* prolata repudiatur.

2. RESPONSIO A IOBO DATA. CAP. 6. 7.

Arg. — Contra impatientiae accusationem Iobus excipit, dolores esse maiores, quam suis querelis exprimi possint; quare a Deo efflagitat, ut minuantur, ne illorum magnitudine abreptus impie contra Deum loquatur (6, 1-13). Dein conqueritur, quod amici eius spem solatii fefellerint et increpationem duram et falsam ei impegerint (6, 14-30). Unde repetitis querelis acerbos suos cruciatus exponit, vitae brevitate proposita Deum ut parcat, inflectere studet (7,1-10). Sed cum exoptatum doloris levamen ei non obtingat, novis clamoribus et acerbis querelis aliquam doloris mitigationem quaerit, Deo proponens, quam dure quamque incessanter affligatur, et cum eo expostulans, cur homini parvo et debili tanta imponat onera (7, 11-21).

Si quis acerba illa perpendit, quibus Eliphaz sermonem suum condiverat, Iobi responsionem minime arguet vel impatientiae vel arrogantiae, sed potius virum mirabitur, qui ad acutissimos morbi dolores ipsorum etiam amicorum opprobriis et invectivis appetitus ea usus sit animi et sermonis moderatione.

a) Dolorum vehementiam declarat 6, 1-13.

Respondens igitur primum respicit 4, 5 et gemituum vehementiam ab Eliphaz vituperatam. Verbis placidis animoque pacato declarat doloris magnitudinem nullis querelis aequari posse.

v. 2 « *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera* »! — textus hebr. planior est et facilior : *utinam appenderetur ira* (*impatientia*) *mea et calamitatem meam in statera elevarent pariter*; exoptat scil. ut in altera lance eius impatientia ponatur, in altera calamitas quam sustinet, tum demum luce clarius fore, impatientiam eius multo esse minorem. In eundem sensum enarranda sunt verba *vulg.*; « utinam ille meus gemitus et interni doloris significatio, quod vos peccatum dicitis et divini furoris irritamentum, cum dolore quem patior in statera poneretur, plane cognosceret qui recte vellet iudicare, dolore meo longe minorem esse gemitum » (*Cord.* sim. *Sanct. Cod. Vav. Sa, Malv. Men.* etc.). Eundem sensum et graeca et *vet. lat.* prae se ferunt : « si quis appendens ponderet iram meam et sermones meos ponat in statera ». Unde quod habet noster *peccata quibus iram merui* inter-

pretis interpretamentum est, idque non adeo felix, quo ex Eliphaz mente Iobus respondet : peccata quibus iram, ut vultis, merui, quibus iram meruisse videor vobis. — Hic loquendi modus probat, quantopere Iobus sibi conscius sit, se in effundendis querelis modum non excessisse, nedum aliquid impium protulisse. Unde ex hoc eius iudicio et conscientia de maledictione illa 3, 2 interpres iudicare debebit.

v. 3 « *quasi arena maris haec gravior appareret; unde et verba mea dolore sunt plena* »; — in textu lat. haec est quasi apodosis ad antecedens; si peccata et poena quam sustineo in statera iustitiae appenderentur, haec incomparabiliter gravior appareret (*S. Thom.*). Notat *Vav.* arena maris sexto casu dici in hanc sententiam : mea quidem calamitas tanta est, ut arenam maris i. e. rem gravissimam gravitate vincat (sim. *Sa, Men.*). In hebr.[1] potius ratio affertur, cur Iobus exoptet in lancibus ponderari excandescentiam suam et miseriam quam experiatur : *quia nunc* (sane nunc *Mar.*) *prae arena maris grave est* (*Malv. Calm.*). Vim comparationis rite perpendit *Pin.* : « sive solitarie posita sive mari adiuncta *arena* significare solet *immensitatem quandam* sive *numero et copia* sive *pondere et gravitate*, quare ad multiplicationem refertur Gen. 22, 17; 32, 12; 41, 49. Ier. 33, 22. Hab. 1, 9, et absolute pro magnitudine et mensura 3 Reg. 4, 29; unde de re, quae propter immensitatem exhauriri nequeat.., ad pondus autem et gravitatem quae cum ingenti arenae copia coniuncta est, facit Prov. 27, 3 ». Ex hac immensa doloris gravitate explicat et excusat Iobus, quidquid in verbis suis nimis acerbum, durum, inconditum, iracundum sonet. Ita scil. ipse libri auctor aperte normam tradit interpretationis, qua gemitus Iobi et exclamationes oporteat *psychologice* i. e. ex animo dolore obruto explanari et proin mitiore sensu accipi, quam *rigor* verborum ad omnem severitatem exactus prae se ferre videatur. Quis enim vehementi animi commotione abreptus verba sua omni rigore logico examinari et quasi ad vivum resecari ferret?

Sensum bene reddidit *Hier.* : *dolore sunt plena*; eodem fere modo LXX ῥήματα φαῦλα, *Sym.* λόγοι κατάπικροι, *Theod.* ἔγκοποι (cf. *Ol. Vav.*). Hebr. לעו veteres quidem explicant *absorbentur* (a לוּעַ cf. Abd. v. 16. *Pin. Cod. Cord. Vav. Calm.*) idque vel

1. יִכְבַּד *grave est;* constructio ad sensum, cum הָיְתָה *fem.* sit; *Hitz.* vult כַּעַשׂ suppleri, sed num Iobus *irae suae excessum* concedit?

loqui non possum prae doloris magnitudine, vel quod melius ad rem *nullus sermo nullave orationis vis acrumnae meae magnitudinem eloqui potest* (*Cod.*) — at commodius vocem hebr. interpretabimur vel *fastidii plena sunt* (לעה = לאה, ita vox chaldaica לעא), vel quod aliis praeplacet *errant, insaniunt*[1] (*W. Del.*). Ad idem recidit quod inter alia affert *Pin.*: praecipitata sunt i. e. festinanter et praecipitanter prolata sunt et videntur temere cadere ex ore.

Rationem subiungit v. 4 « *quia sagittae Domini in me sunt* »; — hebr. *sagittae Omnipotentis in me* i. e. in me defixae haerent. Iaculatorem dicit potentissimum. Metaphora est a feris vulneratis, quarum lateri haeret letalis arundo (*Cod.*). Mala igitur ingentia et summos cruciatus afferentia dicit a Deo immissa; eaque, ut *S. Thom.* vult, ex improviso, « nam sagitta ex remotis et ex improviso venit »; cf. Ps. 7, 14; 37, 2. Quam dira vexatione istae sagittae eum affligant, exponit « *quarum indignatio ebibit spiritum meum* »; — i. e. aestus irae divinae istis sagittis ei immissus exsorbet et consumit intimas quasi spiritus medullas; vel quasi fingit sagittas ardentes, quae incendio absumunt vim vitalem חֲמָה est *ira, furor*, sed etiam *venenum*; cf. Deut. 32, 24. 33. Ps. 58, 5; 140, 4. Quare hebr. ita commodius : *quarum ardorem* (vel *venenum*) *haurit* (bibit) *spiritus meus*, imagine deprompta ab usu sagittarum veneno infectarum; i. e. vis vitalis mea isto cruciatu quasi veneno corroditur. Pergit in imagine bellica. Deum quasi sui debellatorem proponens « *et terrores Domini militant contra me* »; — in hebr. *aciem instruunt adversus me* i. e. instructa acie terrores non qualescunque, non humani, sed quales a potenti Deo infliguntur, undequaque in me impetum faciunt.

Incusaverat eum Eliphaz, quod ipse alios erudire solitus dolori nunc et gemitibus cedat (4, 4. 5). Iam respondet Iobus, decuisse aequum rerum existimatorem ex suis querelis potius doloris magnitudinem inferre, non animi debilitatem vel pietatis abiectionem, idque exemplis declarat, quasi dicat : nunquam ego sine causa gravissima ita eiularem, cum ne bruta quidem animalia sine causa edant clamores; quid ergo ex meis gemitibus erat concludendum? Similia proponit ex animalibus feris et domesticis : v. 5 « *numquid rugiet onager, cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante praesepe plenum steterit* »? — hebr. *numquid rugit onager ad herbam? aut mugit bos ad migma suum?* i. e. in defectu pabuli mugiunt et clamant; ergo ipsa natura duce querelae funduntur. Perbene *Did.* : « hoc autem iustus dicit : quemadmodum non frustra vociferatur asinus aut

1. Id quod vel a verbo לָעָה (*W.*) vel a לוּעַ adscita tamen pro significatu dialecto arabica (*Ros. Del. Hitz.*) explanant. Alii vertunt : *audaciae plena sunt* vel *cum impetu prorumpunt* (Cf. *Le Hir, Renan*).

bos, sed cum alimentum defuerit, ita nec ego animo conciderem, nisi ad extremitatem malorum pervenissem; ut Eliphaz eo adducat, ne homini in dolore constituto vitio vertat, si forte vociferetur ». Nexus hic quem plerique (etiam v. g. *Barh.*) amplectuntur, sane aptior est et rebus et verbis, quam ille quem *Cord.* proponit : « non mirum vos ut onagros vel boves longe abesse a miseriae meae sensu, cum omnia sint vobis prospera et abundantia; facile est hoc pacto esse a lamentatione alienos, quia neque onager rudit, cum in pascuis moratur abundantibus, neque mugit bos » etc. (sim. *Mar. Tir.*) [1].

Eadem aliis similitudinibus declarat v. 6 « *aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem* »? — i. e. grani salis defectum sentit natura palati; quidni ego tot mala, tam acerba, tam inimica, tam insipida naturae sentiam, nisi sensus expers sim et plane stupidus (*Cord.*)? Sensus membri alterius esse videtur : homines respuunt cibum noxium; quis non quam maxime reluctaretur, si mortiferum cibum gustare cogeretur? quanto ergo potiore iure ego horreo, gemo, vociferor? Profitetur enim se nunc pasci aerumnis, quasi cibo foetido et putrido v. 7 « *quae prius nolebat tangere anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt* »; — i. e. ulcera ait et foetorem se habere tamquam cibum quasi quotidianum; hunc cibum se abominari, quid mirum? — Non desunt, qui censeant, Iobum hoc loco ad novum transire miseriarum genus, scil. ad cibos foetidos quibus vesci cogatur (cf. *Cord. Mar. Men.*). At eum ad paupertatem tam extremam redactum esse, ut ex ciborum penuria fere sordibus vesci cogeretur, gratis fingi videtur. Quodsi de comestione vera versus sit explicandus, potius videtur Iobus innuere, propter saniem morbi corporisque corrosionem et manus sanie manantes omnes cibos maculari. Sed cum textus hebr. comparationem exhibeat, prior explicatio quae antecedentibus quoque arcte cohaeret, est praeferenda.

Alterum v. 6 membrum legitur in hebr. apte ad prius hemistichium : *estne sapor in albumine vitelli* (im Schleim des Dotters)? Huic plane concordat *Chald.* [2]; aliis placet חֲלָמוּת interpretari *coagulum* (*Malv. Fürst* L.) : *estne sapor in saliva coaguli*; alii *portulacam* vertunt (cf. *Fürst* C); interpres arabs in Polyglott. Lond. vertit : in succo portulacae; *Syrus* : in albumine vitelli.

Sed quomodo versio S. *Hier.* orta est? Varia coniectant. Alii, uti *Pin. Cord.* W. *Zsch.*, interpretem vocem illam in duas divisisse volunt חול *dolere* et מוּת *mors* i. e. num sapor est in saliva doloris, mortis. Sed forte melius חִוִּל coniiceretur; cf.

1. בלול cf. Is. 30, 24; est pabulum ex diversis mixtum, farrago, μίγμα.

2. *Chald.* habet : in albumine ovi et vitello. — Aliud Targum affert *Levy*, Chald. Wörterb. I, 118. *Le Hir* vertit : et quel goût trouver dans le suc d'une herbe fade? *Renan* : comment trouver du goût au jus de la mauve?

Ps. 48, 7. At ea explicatio non placet, quia nullo pacto cernitur, quomodo ex illa textus *vulg.* enasci potuerit. Aliud apud *W. Zsch.* proponitur, legisse scil. S. *Hier.* חַלַּת תָּמֹת *placenta mortis*. Commodissimum tamen videtur, quod *Cod.* divinatus est : legisse nostrum interpretem בריה לְמוּת, vel certe melius dicamus בבריה i. e. *num est gustus in esca ad mortem* (cf. בְּרִיָּה 2 Sam. 13, 5. 7. 10); quae verba sensum textus *vulg.* exacte referunt et a scriptura textus hebr. בְּרִיר חַלְמוּת non adeo recedunt.

Hebr. v. 7 verte : *(quae) renuit tangere anima mea, ea sicut foetores panis mei* (cf. *Malv.*) דָּוֶה cf. Ps. 41, 4 vel melius דֶּוֶה Lev. 15, 33; 20, 18. Is. 30, 22. *Hitz.* legit כְּדֵרֵי, idque ex arabico explicat : ea sunt frusta cibi mei. *B.* vero totum versum, utpote ex glossis ortum delet, eumque apto carere sensu contendit. At versiones veteres etiam huic versui patrocinantur, quamvis varie eius sensum reddant (praecipue LXX, *Syrus*), neque aptus sensus deest, quem S. *Hier.* expressit et qui commode ex v. 6 fluit. Aliis placet v. 6. 7 referri a Iobo ad *insipidam* Eliphaz orationem; cf. Studien und Krit. 1867 p. 130; *Le Hir.*

Tantis cum sit obrutus aerumnis, nihil restat, nisi ut mortem exoptet liberatricem quam citissime sibi affore; v. 8 « *quis det, ut veniat petitio mea et quod exspecto tribuat mihi Deus* »! — i. e. ut eveniat id quod ardenter iam desiderarat cf. 3, 13. 21; idque Dei favore et beneficio ut sibi contingat, efflagitat; hebr. *et exspectationem meam* (i. e. spem, id quod unice in votis habeo) *det* (concedat) *Deus*. Missionem igitur a Domino ex hac luctuosissima vita postulat (*Cod.*); idque instantius v. 9 « *et qui coepit, ipse me conterat* »; — ex textu lat. ratio petitionis adiungitur, flagitat enim ut Deus qui iam inceperit vitam eius corporisque compages dissolvere morbo immisso, quam celerrime incoeptum absolvat eumque penitus perimat atque conficiat. In hebr. וְיֹאַל *et velit et conterat me* i. e. utinam ei placeat me conterere [1]. Instat et urget eandem petitionem « *solvat manum suam et succidat me* »! — i. e. exserat, laxet manum; translatio sumpta est ab iis, qui habeant manum ligatam, impeditam neque quidquam possint efficere; extendat igitur manum suam et vitam meam succidat cf. 27, 8. Is. 38, 12. Vitae vero finem se optare dicit, ne demum malorum ingruentium pondere victus quidquam Deo iniuriosum proferat; in ipsa scil. morte affirmat id sibi esse solatio et gaudio, quod licet doloris aestu iactetur neque Deus ei parcat, tamen Deo non obloquatur, sed constanter pietatem ac religionem asseruerit. Ita v. 10

1. Formam enim hiphil verbi יאל aliquoties etiam noster interpres exoptantis vel deprecantis particula expressit; cf. Iud. 19, 6 *quaeso te, ut manseas*. 4 Reg. 5, 23 *melius est ut accipias;* significatio *incipere* quam alias verbo tribuit, facile ex cognata notione *velle* i. e. rem aggredi fluit.

Alia exempla vide Iud. 17, 11 et *acquievit* et mansit; 1 Reg 2, 22 *iuravit* Dominus facere vos sibi populum; 2 Reg. 6, 3 veni *ergo* et tu (?).

« *et haec mihi sit consolatio* »; — sententia lat. ita est grammatice explicanda, ut membrum hoc : « *ut affligens me dolore non parcat nec contradicam sermonibus Sancti* »; — intelligatur non paratactice positum sed subordinatione logica prioris partis alteri subiunctum hac ratione : *ut dum affligens me dolore non parcat, ego non contradicam*. Exemplum simile habes Is. 12, 1 : « confitebor tibi quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus et consolatus es me », ad quem locum scribit *Hier.* : « quoniam qui iram merui et furorem tuum, misericordiam consecutus sum »; cf. *Malv. Vav.* [1]

Sententia haec ad Iobi animum describendum aptissima! Mortem beneficii loco a Deo efflagitat, eam desiderat, ne doloribus oppressus forte ad blasphemiam abripiatur, ne tentationi succumbat — similiter precatur Psalmista : « non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas », Ps. 124, 3 — mors si advenerit, eius *solatium* et ex hebr. (cf. adnotata) *exsultatio* erit, quod religionem et pietatem fida mente retinuerit; id in acerbissimis doloribus tamquam maximae laetitiae et tripudii causam profitetur, quod nullo modo refragatus sit eloquiis Sancti, eis obedientiam, reverentiam, fidem non abnuerit, nunquam religionem abdicarit sed sanctissime servaverit. Hunc igitur versum bene perpendant velim Iobi calumniatores! Bene *Cod.* : « Confessorum laureola et Martyrum gloria dignissimum se praebet ».

Iam superioris petitionis rationem reddit, ne quis existimet eum temere et inordinate doloris motu pulsum mortem a Deo petere. Humanae fragilitatis memor timet, ne tandem vincatur immanitate cruciatuum oppressus. Unde v. 11 « *quae est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam* »? — i. e. quem finem habituri sunt mei cruciatus, ut patienter agam (*Pin.*)? neque enim ullum eorum finem cernit, in dolore autem tali quis modus potest esse patientiae (*Malv.* sim. *Mar. Men.*)? namque duobus patientia sustentari solet, vel ingenti quodam robore et animi et corporis, vel spe certa fore, ut brevi adsit malorum finis; neutro ait Iobus suam ali posse spem et longanimitatem.

Eundem sensum membri prioris exprimunt LXX τίς γάρ μου ἡ ἰσχύς; ὅτι ὑπομένω; eumque valde approbat *Ros.* et *Fürst* l.. atque verbum יחל habere notionem *patienter sustinere* certum videtur ex altero hemistichio et ex 14, 14; 32, 16; ea certe h. l. prorsus est ad rem (cf. *Pin. Cod. Vav.*); neque ab ea abludit *Syrus.*

1. Eundem sensum exprimit textus hebr. quem aliqui ut *apodosin* ad v. 8. 9 accipiunt (*Del. Zsch.* so wäre das mein Trost...) *et sit adhuc consolatio mea et exsultem in dolore* (dum) *non parcit* (Deus), *quia non negavi verba Sancti.* סָלַד h. l. tantum occurrit; at notio exsultandi, tripudiandi, ex *Chald.* et LXX certa est et arabica dialecto confirmatur.

Alii tamen ex usu frequentiore etiam h. l. verbum explicant : quale est robur meum, ut *sperem* i. e. vigor vitalis iam periit, quomodo me erigam ad spem illam ab Eliphaz propositam; quid mihi superesse potest, quod sperem? cf. 5, 17 et seq. ita fere *Malv. W. Del. Le Hir. P.* — In altero hemistichio hebr. *animam prolongare, producere* idem est atque longanimitatem ostendere, ab impatientia se cohibere; cf. Eccl. 7, 8; opponitur *abbreviare animam* i. e. abrumpere patientiam, ira et impatientia efferri; cf. Num. 21, 4. Iud. 10, 16; 16, 16.

Quaestionem v. 11 propositam iam per duo membra prosequitur. Et primo quidem de fortitudine v. 12 « *nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est* »; — hebr. *num robur lapidum robur meum? num caro mea aenea?* Interrogandi forma ad animi commotionem explicandam magis est apta. An saxeus sum vel aeneus, ut cruciatus non sentiam? Unde memor imbecillitatis humanae timet, ne tandem Deo obloquens religionem laedat et pietatem, praecipue si dolores magis magisque augeantur. Simul rationem reddit, cur in querelas proruperit, quia scil. non est ut lapis et aes sine sensu. Altero versu id tangit, quod v. 11 de *fine* malorum quem non cerneret, innuerat : v. 13 « *ecce non est auxilium mihi in me. et necessarii quoque mei recesserunt a me* »; — hebr. denuo per interrogationem : *annon sum sine auxilio et subsistentia est propulsa a me?* i. e. an non penitus omni ope destitutus sum et omne stabile fundamentum, omne cui inniti possem, longe est a me remotum, mihi ademptum? Ita docet se finem calamitatum aut mutationem in melius nullo modo animo concipere neque ex tali spe solatium vel patientiam haurire posse. LXX et *vet. lat.* habent : « sed adiutorium a me recessit ». Textus lat. *et necessarii mei* iam id praeoccupat quod a v. 14 Iobus exsequitur, scil. ab ipsis amicis addi ad malorum cumulum. Videtur *S. Hier.* vocem תּוּשִׁיָּה (cf. 5, 12) notione sapientiae vel auxilii vel consilii accepisse et de *amicorum* auxilio et consilio exposuisse, unde nomen personale concretum pro *abstracto* elegit, sicut saepius textum hebr. non tam vertit, sed statim suam expositionem textus versioni ingerit; cf. 6, 1. Is. 2, 22; 11, 10. Dan. 9, 26 [1].

b) De amicorum importunitate conqueritur 6, 14-30.

Iam ulterius describit, quantopere sit ope et solatio destitutus. Ipsi scil. amici molestiam augent et novum tentationis genus ei afferunt [2]; non enim sunt consolatores, sed accusatores se praebent;

1. Quo in loco in textu hebr. non habetur nisi *et non erit ei* (vel eius — uti iam monuit *S. Aug.* ep. 199 al. 84); quare *populus qui eum negaturus est* interpretamentum est. Idem valet de *sepulchri* mentione Is. 11, 10.
2. Bene hoc expendit *S. Chrys.* t. 57 c. 505; t. 63 c. 480; *S. Greg.* c. 766.

non misericordiam ei exhibent, sed reprehensiones iactant. Unde conqueritur Iobus quod ab amicitiae lege recesserint; qua re etiam veram in Deum pietatem laeserint. Proin accusationi ab Eliphaz prolatae 4, 6 suam contra Eliphaz opponit v. 14 « *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit* »; — i. e. qui amicitiae iura adeo violat ut amici non misereatur, sed dure in eum invehatur, iste etiam timorem et reverentiam Omnipotentis exuit, abiecit. Recte quidem ac vere. Nam sincera pietas et Dei amor gignit et exigit benevolentiam in alios.

Commode in eundem sensum textus hebr. concedit; nam ל ante מִיָּם emphatice ponitur ad notionem efferendam *quod attinet ad retrahentem ab amico misericordiam*, ו vero saepe apodosin vestit, *is timorem Omnipotentis deserit*. מִיָּם dein participium (?) est sensu activo a מָסַס dissolvere, separare (aliqui codd. apud de Rossi legunt לְבֹאֵם *aversanti*); et ita intellexerunt *Chald.* et *Syr.* Sensus certe est optimus. Sed cum מִיּוֹם secundum analogiam זָךְ *purus*, חָם *calidus*, תָּם *integer* etc. a מָסַס (contabescere Is. 40, 18) notionem debeat induere *contabescens, moerore, aegritudine confectus*, alii [1] interpretantur : *afflicto ab amico* (debetur) *misericordia* (cf. *Malv. Mar. Cod. Ros. Del.*). Varie dein membrum subsequens adiungunt, vel *alioquin is exuit Dei timorem*, vel *alias posset exuere*, vel *et ei* (debetur misericordia), *qui in eo est, ut relinquat*. Sed certe simplex ו melius explicatur neque tanto opus est subtilitatis artificio in illa interpretatione membri prioris quam veteres sequuntur et ex recentioribus *W. Zsch. P.*

Hac sententia generali praemissa iam arguit amicos illiberalitatis, quod in eum minime praestiterint id officii genus quod lex amicitiae postulabat, eosque confert cum torrentibus qui aestate (quo tempore quam maxime aquae desiderantur) exarescunt, deficiunt, spem viatorum fallunt (*Cord.*), hancque similitudinem eleganter et fuse (fere epicorum more poetarum) pertractat : v. 15 « *fratres mei praeterierunt me sicut torrens qui raptim transit in convallibus* »; — i. e. fugiunt a me, me relinquunt, dum opem et solatium mihi subtrahunt; vel quasi nulla mei cura tangerentur, cito praetervolant, sicut torrens rapidus. *Fratres* vocat, quo magis charitatis legem violatam urgeat. In textu hebr. perfidia, fallacia amicorum perstringitur : *fratres mei perfide agunt* (fallunt, praevaricantur, ut alias vocem vertit *vulg.*) *sicut torrens, sicut alveus torrentium* (qui) *praeterlabuntur* (defluunt, dilabuntur, evanescunt).

Optime sensum נַחַל dederunt LXX χειμάῤῥους ἐκλείπων et *vet. lat.* « torrens defi-

1. *Hitz.* חסד interpretatur : « si afflicto contingat ab amicis *obiurgatio*, timorem Dei deserit »; sententia oppido falsa praesertim in Iobi ore! Si respicitur Lev. 20, 17. Prov. 14, 34, posset ita verti : moerenti fit opprobrium ab amico, et (*amicus ita agens*) timorem Domini derelinquit.

ciens », cum non sit fluvius qui ex fontibus iugiter alatur, sed torrens ex imbribus et nivibus liquefactis collectus, qui tempore aestivo cum imbres deficiant et ipse deficiat, quare huiusmodi aquae *mendaces*, fallaces, perfidae dicuntur; cf. Is. 58, 11. Unde bene *Bark.* : « fratres mei deceperunt sicut torrentes, in quibus scil. hieme aquae sunt et in aestate evanescunt ».

Iam sequentibus fusius explicat quomodo torrentes hiberni fallant, quia scil. per brumam collectis imbribus et nivibus profundo fluento amnes aemulantur, sed per aestatem exarescunt (*Cod.*). Ita enim fert textus hebr. v. 16 (qui) *obscuri* (turbidi sunt) *a glacie, in eos* (in quos) *condit se nix*; v. 17 *tempore* (quo) *incaluerint, excisi sunt; dum incalescit* (in aestu), *exstinguuntur* (exterminantur) *de loco suo;* et hunc in modum iam vertunt *Cod. Malv. Mar. Vav.;* neque sensus est implicatus; verno enim tempore atri fiunt, i. e. turbidi alluvione glacie soluta, nives quoque cadentes vel aquae ex iis liquefactis ibi conduntur, in torrentibus sese abscondunt et aquarum molem turbidam augent; at si aestu et ardore uruntur aestate et effervescunt torrentes, statim evanescunt [1].

Ex textu hebr. explicato nunc etiam lux affunditur versioni vulg. et edocemur, quem in modum verba sint accipienda : v. 16 « *qui timent pruinam, irruet super eos nix* ». —

Vocem קדר sordidum, nigrum esse *Hier.* alias rite transfert secundum sensum *contristari* (Ier. 8, 21. Ez. 31, 15. — ita etiam Ps. 34, 14. 37, 7. 41, 10. 42, 2) *obscurari* (Ier. 14, 2), *obtenebrari* (Mich. 3, 6. Ioel 2, 10. 3, 15. 3. Reg. 18, 45), *moerere* (Iob 5, 11. 30, 28. Ier. 4, 28), *nigrescere* (Ez. 32, 7); inde autem explicatur, quomodo sensu translato *moerere a pruina, contristari a pruina* possit accipi quasi *timere, horrere, fastidire* pruinam, uti hoc loco et LXX et *Syrus* eosque secutus *S. Hier.* interpretati sunt.

Sensum vero *vulg.* ita cum *Malv.* determinandum esse, ex allatis patebit : qui (torrentes) horrent a pruina, i. e. horridi sunt ac turbidi et sordidi a pruina, in eos delabitur praeterea nix, unde pruina et nivibus alvei implentur. Simul atque autem aquae eorum tumidae insolescunt et in spatia lata diffunduntur (v. 17 « *tempore quo fuerint*

1. In dubium tantum vocari potest vox ἅπαξ λεγομένη דָּרַב quam lexicographi et veteres et recentiores pro analogiarum ex cognatis vocibus et dialectis varietate vel notione *urendi* (cf. צָרַב Ez. 21, 3. Prov. 16, 27) vel *diffluendi* (ex usu chald. et talm.) vel *coarctandi* (ex syr. cf. *Ges.*) vestiunt; ad secundam prope accedit versio *Hier. tempore quo fuerint dissipati*, i. e. quam primum effunduntur late, eodem forme tempore, cito pereunt; vel quam primum aquae illae nive liquefacta auctae diffluxerunt, etiam torrentes illi pereunt. Apte deinde huic membro subiungitur alterum illud : simulatque exortus est aestus, exsiccati sunt; ita utrumque hemistichium grata quadam varietate distinctum est. Hanc interpretationem proponit *Malv.* l. quidem et auctores habet praeterea Kimchium et *Hitz.*, at plerique primam amplectuntur (ipse *Malv. Cod. Mar. W. Zsch. Del. Hirz. P.*).

dissipati, peribunt, et ut incaluerit, solventur de loco suo » ; — iam interibunt et si aestus accedat, mox evanescent[1] ». — Scio, interpretes multos lat. textum *vulg.* proverbii loco exponere: qui scil. minores fugiunt, maiores saepe incurrunt calamitates; vel applicatione facta ad Iobi amicos : dum a contactu fugiunt laborantis amici eumque abhorrent, in maius malum i. e. in Dei iram amicitiae fideique proditoribus praeparatam incurrunt (cf. *Pin. Cod. Men. Tir. Gord.*). Sententia quidem praeclara et verbis *vulg.* nude spectatis accommodata, at nimis a sensu originali aliena, ut quae a textu cuius versio est *vulg.* elici nullatenus possit, et insuper comparationem torrentium institutam nimium interturbet.

Quia amicos perfidiae et fallaciae accusat Iobus, denuo alia ratione declarat similitudinem v. 15 institutam, hac ipsa loquendi iteratione ostendens animum tali perfidia et infidelitate commotum atque perculsum : v. 18 « *involutae sunt semitae gressuum eorum* » ; — *gressus* vocat cursum et impetum torrentium, qui in decursus, praecipitia, abyssos, anfractus feruntur et sic revera habent *involutas semitas;* « *ambulabunt in vacuum et peribunt* » ; — ita ruentes in proclive vel ipso deserti immenso *vacuo* et arena arenti suscepti demum pereunt (cf. *Mar.*). Vel *ambulare in vacuum*, « dissoluti resolvuntur in vapores qui ascendunt in inane, in aera » *Malv.* Eodem modo hebr. *defluctuntur* (distorquentur) *semitae viae eorum, ascendunt in vacuum* (abeunt in nihilum) *et pereunt.*

Hanc versionem prorsus exigit *punctatio mas.*; forma enim יִלָּפְתוּ passiva est, אָרְחוֹת vero status est constructus, quare sine textus mutatione non potest verti, ut alii volunt (*Ros. W. Zsch. Renan*) « deflectunt (ad illos) viatorum catervae iter suum ». Hoc exemplum spei deceptae in subseq. Iobus proponit, quare non iam hoc loco erit ponendum; multoque minus probari potest illorum opinio, qui membrum alterum « ascendunt in vastum (desertum) et dispereunt » de viatorum catervis accipiunt (*Ros. W. Zsch. Renan*); nam quo pacto viatorum catervae hoc loco iam dicerentur interire, cum tandem v. 19. 20 viatorum et mercatorum turmae ad illos venire et spe deiici sua scribantur? Quare *vulg.* interpretatio hoc loco omnino retinenda est, sed debet de torrentibus explicari (cum *Malv. Vat. Cod. Le Hir*), non immediate ad amicos transferri (cum *Cord. Tir.*), quorum actiones sint multis simulationibus et dolis intricatae et qui tandem inauspicato fine desinant.

Iam exemplo viatorum et mercatorum per desc 'um iter facien-

1. Placet adhuc adscribere, quomodo *Vat. vulg.* textum et sensum textus hebr. studeat conciliare : « amici mei similes sunt torrentium qui pruinam timent i. e. quibus imminet pruina et in quos nix crebra descendit; quibus liquatis (pruina dico et nive) intumescunt et alveos superfusi subiectam inundant planitiem. Timere autem dicit torrentes, quoniam iis aucti veluti quiete sua et cubili moventur ».

tium, qui huiusmodi torrentes in aquae penuria ad sitim exstinguendam exquirentes misere falluntur, rem suam illustrat. Et in textu hebr. quidem v. 19 *respexerunt turmae itinerantium Thema, coetus commeantium* (*profectiones*) *Saba exspectaverunt eos;* v. 20 *pudefacti sunt quia speraverunt; venerunt eo usque et pudore cooperti sunt.* Sensus est facilis; in itinere spem collocant animosque et oculos intendunt ad torrentes, sed cum ad alveum accedunt, vanam fuisse spem non sine pudore et damno cernunt. Ad eundem sensum *vulg.* verba sunt exigenda v. 19 « *considerate*[1] *semitas Thema, itinera Saba, et exspectate paulisper* »! — res in *vulg.* vivo quodam modo proponitur, dum lectores admonentur, ut ipsi oculos coniiciant in varia itinera Thema et in vias Saba (de nominibus cf. 1, 15; 2, 11) et paulisper exspectantes attentionem figant. Quid enim mox videbunt? v. 20 « *confusi sunt* » ; — cernent viatores stupefactos, spe deiectos, tristitia afflictos, quia frustra aquam quaerunt « *quia speravi* » — haec lectio difficilis est explicatu[2]; hebr. habetur כָּסָה *speravit* scil. unusquisque eorum. Lectionem lat. ita *Vat.* explanat: « ego, vel quilibet alius praetereuntium, qui quid ex eo torrente solatii captent; aut legendum *speravit* i. e. quisque eorum, ut in hebraeo » ; « *venerunt quoque usque ad me et pudore cooperti sunt* » ; — secundum *vulg.* hic iam continetur apodosis similitudinis, quam Iobus ad amicos suos transfert, quorum culpat fidem (*Vat.*); sed patet textum hebr. merito praeferri et applicationem ad amicos sollemni modo fieri v. 21[3]. Ceterum quod aliqui interpretes lat. afferunt ad versus hos elucidandos parum ad rem esse videtur: considerate actiones et conversandi rationes Thema et Saba i. e. vosmetipsos et vestras actiones, et vestro ipsorum iudicio vos pronuntiabitis reos violatae amicitiae (*Cord.*); vel: videte, quam pauci amicorum ex Thema et Saba ad me solandum accurrant; omnes victi pudore fugiunt me (*Tir.*); vel posse sumi de amicis, qui more mercatorum emporia tantum respiciunt, unde spes lucri est; ea sublata emporia deserunt; sic amici me colebant, donec a me aliquid exspectarunt (*Mar.*) — sed qua ratione haec *verbis explicandis* congruant, equidem non assequor.

1. Legit interpres תַּבִּיטוּ nunc effertur הִ.

2. In editione operum *S. Hier.* legitur *speraverunt* (cf. Migne t. 28 c. 1089); et revera *pluralem* numerum LXX. *Chald. Syrus* praebent; et ita *B.* textum hebr. emendat.

3. LXX et *vet. lat.* versus hos 16-20 ita exhibent : « qui me metuebant nunc irruerunt super me. Sicut nix aut glacies constricta cum tabuerit in calore, non apparet quid fuerit, sic et ego derelictus sum ab omnibus. Perii et exsul de domo mea factus sum. Videte vias Themanorum, semitas Sabaeorum. Intuemini, quia confusionem consequentur qui in civitatibus et in divitiis confidunt ».

Iam similitudinem applicat. Spe solatii ab amicis destitutus est, quia videntes plagam eius eum prae pudore et horrore aversantur; ita v. 21 « *nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis* »; —[1] nunc igitur *timent* i. e. horrent eum eiusque plagam, inde ab eo se avertunt, eum aversantur (cf. *Cord. Mar. Men.*). Hanc vero amicorum in amicitia praestanda negligentiam iam inde exagitat, quia nunquam ab iis aliquid largitionum vel beneficiorum postulaverit; si eiusmodi ab iis efflagitasset eorumque opes ad suos convertere vellet usus, utique explicari posse, cur nunc adeo ab amore recedant. Nulla igitur causa iis adest, cur amicitiae iura violent: v. 22 « *numquid dixi: afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi* »? — verba sunt facilia; indicat, se neque eorum divitias neque auxilium armorum vel fortitudinis unquam ab iis expetiisse: v. 23 « *vel: liberate me de manu hostis et de manu robustorum eruite me* »? — proinde se fuisse amicum eorum sincerum, non lucri quadam utilitate captum; quare eo magis indignum est, ut talem amicum spernant et aversentur. Simul perstringit eorum perfidiam: sane non est quod me timeatis, cum nihil unquam a vobis exegerim (cf. *Cord. Men.*). Vel ut *Malv.* vim expostulationis perpendit: si aliquid a vobis expeterem, inhonestum esset amico laboranti recusare; at quanto magis, si ne illud quidem levamen praestatis quod possetis sine ullo dispendio? Attulerunt ei nimirum non solatium sed increpationes et duras reprehensiones. Ad has refutandas et procul a se repellendas iam transit.

Sed ne quis putet eum loqui obfirmato animo et quasi indurato nec velle ab aliis salubria consilia accipere, antea se promptum ac paratum declarat ad doctrinam sibi oblatam mente et animo amplectendam. Unde v. 24 « *docete me et ego tacebo, et si quid forte ignoravi, instruite me* »; — uti in hoc membro *doctrinam*, ita in altero ex textu hebr. *rectam* suam spectat *et quid erraverim, facite me intelligere*. Si quid in doctrina vel in usu peccaverit vel a recti iustique regula recesserit, paratum se dicit ad emendationem. Verum talem criminum accusationem qualem Eliphaz ei impegit, indignabundus reiicit. Ita quidem ex *vulg.* textu v. 25 « *quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me* »? — Falsitatis arguit illam criminum imputationem, falsitatis illam sententiam *impium* tantum affligi, quia nemo sit qui ipsum talium criminum reum esse iure possit asserere. Eliphaz porro talia proferens revera *veritatem* laesit. Haec explicatio

1. Fere idem in LXX; ἐπέβητέ μοι, legerunt proinde לִי pro לֹא (Ketib) vel לִי (Qeri). Sed hebr. *Ketib* congruit *sed nunc facti estis nihil* i. e. nulli omnino utilitati pro me (cf. *Cod. Vav. Malv.*). *Qeri* לִי ad ipsam similitudinem debet referri: *quia nunc facti estis* similes *illi* sc. tali torrenti (cf. *Malv.* II. *Vat.*).

mihi videtur magis accedere et ad contextum et praecipue ad *verborum vim ac proprietatem*, quam illa quam ab aliis video proponi: cur reprehenditis verba mea quae primo protuli in mea lamentatione, cum verissima sint illa nec ullius vitii argui possint (*S. Thom. Pin. Cord.*)? At Iobi gemitus dici *veritatis sermones*, mihi persuasum non est. Reprehendit porro Iobus in sermone Eliphaz (quem ex aliorum quoque mente ac sententia locutum esse iure opinatur — cf. 5, 27 — unde *detraxistis* et similia) praeter argumenti falsitatem *inhumanitatem* quandam atque *acerbitatem*, qua ipsum pungere et exulcerare non verentur v. 26 « *ad increpandum tantum eloquia concinnatis* »; — i. e. ad reprehensionem solum ac vituperationem verba vestra facta sunt et composita, « *et in ventum verba profertis* »; — i. e. praeterea inania prorsus sunt, *scopum non feriunt*, in cassum ac vanum proferuntur, quia in Iobo vitia talia non erant, neque Iobus ullo modo iis se vult vel potest docilem praebere.

Iam de textu hebr.; v. 25 verbum מָרְצוּ in 3 Reg. 2, 8 et Mich. 2, 10 et infra 16, 3 ita est a *Hier.* redditum, ut exigente sensu et consentientibus LXX, *Chald.* et *Syro* notionem habeat *esse validum, vehemens, acerbum, molestum*. Quae notio certe hoc loco etiam est retinenda, vel ita, ut *verba rectitudinis* i. e. verba quae recta esse deceret et quae cum irrisione recta dicantur, tamquam *acerba, molesta* traducantur et reprehendantur, quem sensum LXX et *Aq.* hoc loco exprimunt, vel quod pluribus (*Vav. Cod. Malv. Mar. Del. Le Hir, P.*) placet: quam *validi* i. e. quam *efficaces* ad animos percellendos sunt sermones veri, quanta est vis et auctoritas veritatis! Sensus uterque optime contextui congruit, et hic quidem bene post v. 24 Iobi animum aperit ad veritatem amplectendam et unice amandam paratissimum et elegantem continet oppositionem, qua indoles sermonis Eliphaz perstringitur. At nihilominus propter usum verbi locis allatis et propter veteres interpretes prior est praeferendus: quam acerba, acria, molesta sunt verba, quae tamquam veri iustique regulam venditis (cf. *Pin. W. Hitz. Zsch.*)! huic etiam facilius accommodatur versio *Hier.* et *Syri* h. l. — Commemoranda demum est tertia sententia, qua (ל et ר permutatis) נִבְלְצוּ (cum uno alterove cod. hebr.) legunt *quam dulcia sunt* i. e. quantum levaminis ac solatii afferunt afflicto sermones quibus prudentia inest ac sana ratio (*Ros. Hirz.*), quam explicationem iam apud *Chald.* et *Iarchium* legimus (cf. *de Rossi*).

Acerba esse amicorum verba dixit Iobus v. 25 a; addit ea scopum minime tangere *et quid reprehendit reprehensio* (vel *quid arguit argumentatio*) *a vobis?* i. e. quid veri continet aut quid efficit? vel an subest vera eius ac iusta ratio? Minime! Verba hebraea ita sumpsisse videtur *Hier.* ad literam *quid arguet arguendo* (scil. quisquam) *ex vobis?* et liberius reddidisse. In v. 26 *Hier.* in unam phrasin coniunxit מִלִּים תּוֹכִיחוּ i. e. *verba exœgitatis*, et ita etiam *Mar. Malv.*, id quod sane fieri potest, cf. Gen. 50, 20. Ps. 10, 2; 21, 12; 35, 20 (hebr.) etc. At minime spernenda aliorum interpretatio: *an cogitatis verba reprehendere* i. e. nuda verba, qualia sunt afflicti querelae? (cf. *Malv.* I. *Ros. Del. Hitz. Zsch. P.*) ad quem sensum optime congruit quod sequitur *et in ventum dicta afflicti* i. e. cum tamen verba moestissimi cuiusque in auram dicta sint, neque tristis velit neque sana ratio permittat, ut eiusmodi verba quae vento abripienda ab ipso tradantur, ad vivum

quasi resecentur, premantur. Vel etiam : existimatisne *verba* sufficere ad arguendum (*Cod.* W.)? quae tamen expositio coarctior videtur. Ultimo membro Iobus inculcat sententiam ad ipsius sermones interpretandos gravissimam *in ventum dicta desperati*. Cum S. *Hier.* vocem נֹאַשׁ alias rite vertat (cf. 1 Reg. 27, 1. Ier. 2, 25. 18, 12. Eccl. 2, 20), sane hoc loco literis mutatis נְשֹׂאָ = verba *proferre* (cf. Ex. 20, 7. 23, 1. Num. 23, 7) legit.

Amicorum inhumanitatem etiam acrius carpit v. 27 « *super pupillum irruitis*; — se omni ope destitutum comparat pupillo, in quem praedonum more irruere crudelissimum est; « *et subvertere nitimini amicum vestrum* »; — i. e. penitus deïicere ac deturbare studetis eum qui iam oppressus est, *amicum* talia non merentem.

Acerbitate qua usus est Eliphaz ita reprehensa ad ulteriorem disceptationem sustinendam se paratum declarat, eius modum indicat et se victorem fore certo pronuntiat. Atque primum quidem v. 28 « *verumtamen quod coepistis, explete! praebete aurem et videte, an mentiar* »! — sensum bene proponit *Cord.* : « non subterfugio rationibus vobiscum agere neque censorium vestrum iudicium detrecto ; quare incepta ad finem usque perducite, ita tamen, ut mihi non negetur respondendi facultas; quamobrem diligénter attendite, an in verbis meis aliquid resonet affine mendacio ». Dein modum disceptationis et moderationem prescribit v. 29 « *respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod iustum est iudicate* »; — postulat, ut sine ira loquantur et ut iusti verique normam ob oculos habeant; quod si praestiterint, Iobo persuasum est, eos falsi nihil, nihil stulti in ipsius sermonibus deprehensuros; ita v. 30 « *et non invenietis in lingua mea iniquitatem; nec in faucibus meis stultitia personabit* »; — adeo scil. Iobus certus est de sua integritate, qua calamitates suas minime esse scelerum poenas confidit.

Versio S. *Hier.* v. 27 ex textu hebr. facile declaratur; legit scil. תִּפְּלוּ, uti etiam LXX ἐπιπίπτετε; et *fodere contra amicum* כרה *fodere* quasi ad eum eradicandum et subvertendum exposuit. Textus mas. fert תַּפִּילוּ = *cadere facitis* scil. sortem (*Malv. W. Del. Hitz. Zsch. P.*) vel rete, laqueos (*Cod. Mar.* cf. *Malv. Le Hir*) *super pupillum proiicitis*. Idem legit *Chald.*; sed cum *iram super eos effundere* vertat, particulam אה tamquam obiectum אף *iram* interpretatus est (cf. *Malv.* — Idem *Syrus* expressisse videtur : *contra pupillum efferimini*). Phrasis alterius hemistichii עַל כָּרָה ab aliquibus (etiam a *Syro*) explicatur *paciscere, mercari, vendere* (cf. *Cod. W. Del. Zsch. Hitz. Renan, P.*); unde amicos crudelitatis arguit, qua pupilli bona sorte inter se distribuere et amicum vendere parati sint; tali scil. mentis duritie eos secum egisse accusat. Quamvis כרה significet *emere* Deut. 2, 6. Osee 3, 2, tamen usus longe frequentissimus notionem *fodendi* fert, qui etiam hoc loco non deserendus esse videtur [1] (cf. *Mar. Malv. Pin. Ges. Ros. Fürst C.*). Sensus enim commode exsistit : super pupillum laqueos proiicitis et circa (contra) amicum foveam foditis; dum alia explanatio de mercatura instituenda satis longe quaesita videtur. Atque haec de v. 27.

1. LXX habent ἐνάλλεσθε; id *Houbigantius* ad verbum כרר *saltare* (?) refert. *Chald.* vertit *cogitare contra amicum*.

Amicorum vehementia reprehensa Iobus v. 28 in textu hebr. efflagitat, ut amici animis pacatis ac benevolis rem considerent : *et nunc velitis, respicite in me, et ante conspectum vestrum (sit), num mentiar* i. e. rogat, ut aequi bonique iudices sint et de ipso et querelis quas fuderit, sententiam ab iro studioque alienam ferant. Textus *vulg. quod coepistis* intelligitur ex eo, quod v. 9 de verbo יאל notavi; adiecit interpres *explete* de suo ad sensum complendum illum, quem verbo יאל tribuit.

Textum hebr. v. 29 ita explico : *revertimini, quaeso* (i. e. animos mutate, vel denuo disceptate), *ne sit iniquitas, revertimini, adhuc iustitia mea in se* [1] i. e. ne eum aversentur, adhuc enim iustitia eius in se constat firma (*Cod. Del.*). Quare cum omni fiducia quaerit ex eis v. 30 : *num est in lingua mea iniquitas, numquid palatum meum non sapit* (discernit) *corrupta?* i. e. nihil iniqui locutus sum, vel an putatis meum palatum ita esse omni vi sentiendi destitutum, ut corrupta et prava iam non valeat a bonis discernere? Metaphoram sumit a sensu externo, ut dicat animum suum non carere recto iudicio quid sit bonum vel malum; unde profitetur se sibi conscium esse neque antea se flagitia admisisse neque nunc (cf. 3) in verbis peccasse. Ad hanc ultimam sententiam iterum Iobi calumniatores amandamus, qui animum eius ita callo obductum fingunt, ut horrendas fuderit blasphemias neque ad malitiam mentem adverterit.

c) Miseria vitae expenditur 7, 1 — 10.

Accusatione amicorum reiecta et disceptationis norma quadam ac regula praestituta (6, 28 et seq.) exponit Iobus quid ipse de sua conditione sentiat et de consolatione ab Eliphaz promissa. Ut enim bene *S. Thom.* nexum proponit, promiserat Eliphaz quandam terrenam beatitudinem, si increpationem Domini non reprobaret. Sed beatus Iobus ostendit hanc consolationem esse incongruam, idque primo ex conditione praesentis vitae, postmodum ex sua propria conditione. Quare primo asserit generatim vitam humanam duris laboribus esse obnoxiam : v. 1 « *Militia est hominis vita super terram et sicut dies mercenarii dies eius* »; — nervose in hebr. et ad disceptationem accommodate : *nonne militia* (est) *homini super terram?* אֱנוֹשׁ etiam hominem dicit fragilem, labilem, miserum cf. 23, 6. Ps. 8, 5 ; 9, 20 ; 55, 2. *Militia* durum indicat ac strenuum laborem, eumque periculis, vigiliis, certaminibus plenum ; *dies mercenarii* tempus designant labori et sudori, obedientiae et subiectioni praestitutum, cuius finem operisque mercedem avide homines appetunt et exspectant. Utramque similitudinem praeclare expendit

1. Sed certe melius cum *Houbig. Hitz. B.* legitur בִּי *in me* pro בָּהּ

S. Thom. : « praesens vita comparatur ad ultimum finem sicut motus ad quietem et via ad terminum et ideo comparat eam illis statibus hominum qui tendunt ad aliquem finem... (idque) propter duo quae imminent homini in praesenti vita, ut scil. resistat impedimentis et nocivis (*militia*) et ut operetur utilia ad finem (*dies mercenarii*). Ex utroque autem exemplo datur intelligi praesens vita divinae providentiae subdi; nam milites sub duce militant et mercenarii a patrono operis mercedem exspectant ». In hoc onere et ipse Iobus duram servit servitutem v. 2 « *sicut servus desiderat umbram et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui* »; — hebr. *sicut* (*qui*) *anhelat umbram* (*Cod.* summo desiderio aspirat *Malv.*) *et sicut mercenarius* (qui) *exspectat mercedem suam* (LXX, *Chald. Cod. Malv. W.* etc.), ita ipse quoque sensit et sentit diei pondus et aestum, quin immo magis, quia *iam diu* cruciatu exagitatur et per *ipsas etiam noctes* aliis ad requiem concessas levamine caret. Ita v. 3 « *sic et ego habui menses vacuos et noctes laboriosas enumeravi mihi* »; — hebr. *sic sortitus sum* (quasi hereditate accepi) *menses vanitatis* i. e. fallaces, mendaces, qui spem fallunt, nunquam finem exoptatum aut melioris conditionis vicem afferunt (cf. *Pin. Vav.*) *et noctes laboris adnumerantur mihi* [1]; igitur conqueritur quod supra communem sortem et diuturnitate aerumnarum et sine ullo quietis intervallo oneretur. Bene enim adnotat *Vav.* Iobum non tam se cum aliis conferre, quam quid et quatenus differat exponere. Ex quo loco simul patet, Iobum *diu* (*menses* vacuos dicit) iam affligi, id quod ad patientiae exercitationem rite aestimandam et ad gemitus benigne interpretandos considerari oportet.

Id sane ex gravissimis est quod modo tetigit, excruciari sine ullo respirationis intervallo, unde accuratius id delineat v. 4 « *si dormiero, dicam : quando consurgam* »? — i. e. si decumbit (ita hebr. שָׁכַב) nocte adventante, iam diei lucisque adventum exoptat, uti aegri qui noctes insomnes quam maxime timent; luce orta denuo finem diei desiderat « *et rursum exspectabo vesperam* »; — ita perpetuis iactatur et inanibus desideriis, cum neque noctu neque interdiu aliquid capiat levaminis sed « *et replebor doloribus usque ad tenebras* »; — LXX et *vet. lat.* « si dormiero, dico, quando dies? et si surrexero, rursum, quando vespera? repleor autem doloribus a vespera usque ad manc ». Textus hebr. noctes exhibet insomnes et longas et plenas doloribus : *si decumbo, dico, quando surgam? et extendit vesperam* (i. e. Deus mihi noctem reddit longam *W. Fürst, Del.*; alii : protenditur nox *Hitz. Zsch.*)

1. Consentiunt *Aq. Theod.* cf. cod. syr. hexapl.

et satior iactationibus usque ad crepusculum (cf. *Cod. Malv. Mar.*) [1].

Cur diu noctuque doloribus iactetur, exponit v. 5 « *induta est caro mea putredine et sordibus pulveris* »; — hebr. *Cord.* : « adeo extabui ut corpori meo obducta fuerit crusta quaedam purulenta et pulvere adhaerente sordida; cutis arida in rugas sese contraxit »; vermibus scil. scatet et ulcerum crustis. In hebr. *induta est caro mea verme* (vermibus) *et ramento* (gleba) *pulveris* i. e. scabie et siccioribus crustulis exustisque particulis decidentibus ex corpore, nam hae excrescere et excerni solent ex elephantiacis (*Pin.*); « *cutis mea aruit* »; — hebr. רָגַע *findere, diffringere cum strepitu* (*Malv. Mar.*) [2] « *et contracta est* »; — hebr. *et liquefit* i. e. denuo sanie diffluit, scinditur manantibus ulceribus [3].

Et ad tantam miseriam redactus est post vitam celerrime dilapsam. Ex praesenti enim conditione miserrima oculos flectit in vitam praeteritam eamque deprehendit citissime avolasse, dirigit in tempus futurum neque ibi spem vel solatium invenit. Unde v. 6 « *dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe* »; — hebr. *velociores fuerunt quam radius* (*navicula*) *textoris* [4] (cf. *Pin. Cord. Cod. Malv. Vav.*) i. e. abierunt velocius quam navicula illa textoris qua subtegmen stamini inseritur, quae sine intermissione nunc ad dexteram nunc ad sinistram excussa volat. Non possum non mirari, quod recentiores quidam hoc de Iobi praesenti conditione accipiunt (*Ros. Del. W. Hitz. Zsch.*); sed num in morbo dies tam cito avolant, vel quando aegrotus hac de re conqueritur? Quare optime *Hier.* vertit *transierunt*. Iam quid speret de futuro? praesens corporis dissolutio et putredo nihil aliud suadet, quam dies consumi sine ulla spe.

Quare a Deo efflagitat, ut ei liceat minimum spatium quod supersit aliquo cum levamine absolvere. Ut Deum ad miserationem inflectat, vitae cursum humanae commemorat praecipitem, irrevocabilem. Unde v. 7 « *memento quia ventus est vita mea* »; — i. e. transit cele-

1. מִדַּד varie accipitur; quando *vesper emetietur* spatium? alii *cor meum* supplent (cf. *Malv.*); alii substantivum a נָדַד *fugit, recessit* esse volunt: *quando recessus vesperae* scil. erit?

2. H. l. etiam accipit *Fürst C.*, dum alias *fremere, strepitum edere* (infra 26, 12) vel *obiurgare* (Is. 51, 15) significat; aliis praeplacet notio *sese contrahendi, cicatrices obducendi* (*Syrus, Ges. Malv.* IV. *Hitz. Le Hir.*).

3. Ita *Chald.* et *Syrus* יָמֵאס quasi a מָסַס; quacum versione iure recentiores consentiunt plerique (cf. Ps. 58, 8 hebr.), dum pauci notionem מָאַס (aversabilis, abominabilis facta es) retinent.

4. ὑπὲρ ὑφάσματος *Aq.* sim. *Sym. Theod.* cf. cod. syr. hexapl. Codices LXX variant; vel χειμὰς (ita quoque *Syrus hexapl.*) vel δρομέως.

BIBLIOTECA UAM

riter et fuga est irrevocabilis; *semel* tantum vivitur, quae nova ratio est, qua Deum flectere conatur; *una* enim vita tantum habetur eaque brevis, quare hanc aerumnis obruere et opprimere vis? hoc est, quod dicit « *et non revertetur oculus meus, ut videat bona* »; — bene *Ol.*: « memento vitam humanam fragilem esse et caducam, *ad quam redire non poterimus*, cum mors semel nos inde avulserit, neque bona eius intueri neque frui ». Haec ratio plana est et ipsis verbis conspicua, quam etiam plerique interpretes rite perceperunt (cf. *Greg. exp. in. Phil. Thom. Caiet. Sanct. Pin. Cord. Malv. Mar. Men. Tir. Gord. Ros. W. P.*). Perperam *Del.* et *Zsch.* ea ita accipiunt quasi Iobus statum vitae et animae post mortem describat.

Varie adhuc effert, omnem spem vitae *terrestris* esse praecisam sibique mox esse e vivis excedendum v. 8 « *nec aspiciet me visus hominis* »; — i. e. iamiam in eo est, ut mortalium aspectibus me mors eripiat (*Pin.*); « *oculi tui in me, et non subsistam* »; — i. e. mox quaerent me oculi tui et non ero uspiam in vivis, nec bene facere mihi in hac vita poteris, nisi nunc statim facias (*Vav. Cord. Men.*). Iste sensus et simplex est et altero hemistichio ex lege parallelismi commendatur; quem alii proponunt *oculi tui in me* scil. ad me occidendum (*Malv. Hitz.*), vel *deprecatorie*: benigno vultu me aspice et concede, ut vita defungar (*Tir.*), et longius abesse videtur neque ad orationem contextam satis accedere. Cum v. 7 sermo aperte fiat ad Deum, vix h. l. *tui* cum *Mar.* et *W.* ad quemcumque hominem poterit referri.

Uti v. 8 priorem v. 7^{mi} partem de vitae veloci cursu denuo explicuit, ita iam v. 9 et 10 alteram partem v. 7^{mi} latius prosequitur; iam non superesse *horum* bonorum terrestrium spem; hac ratione simul respondet ad id quod Eliphaz 5, 17 et seq. suaserat. v. 9 « *sicut consumitur nubes et pertransit; sic qui descenderit ad inferos non ascendet* »; — verba plana sunt neminem de limbo ad hanc terram redire (*ascendere*); v. 10 « *nec revertetur ultra in domum suam* »; — i. e. ad statum vitae praesentis (*Est.*), « *neque cognoscet eum amplius locus eius* »; — i. e. locus, ubi antea vixit homo, iam non videbit hominem revertentem (*Sa*). Apta est prosopopoea (cf. *Pin.*), qua pristina domus quae adeo quasi familiaris erat hero, eum fingitur penitus oblita esse, ita ut si rediret, eum iam non agnosceret. Ex hisce iterum patet, Iobum non loqui de hominis sorte et conditione in altera vita neque ullo pacto resurrectionem negare vel in dubium vocare [1].

1. Quare minime etiam consequitur, quod *S. Chrys.* et *Did.* h. l. volunt, Iobum ignorasse resurrectionem. *Did.* quidem ita : « alii haec a Iobo dicta esse volunt, primum quidem ut humanae vitae fragilitatem et deinde, eum qui semel obierit ad corruptibilem

d) Querelis laxat habenas 7, 11-21.

« Cum haec ita se habeant et ego ad extremum prope iam spiritum redactus sim, quod mihi liberum est, cordi et ori indulgebo paullulum et erumpentia suspiria non supprimam » (*Pin.*) [1]. v. 11 « *Quapropter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animae meae* »; — hic versus maxime attendatur oportet; triplici modo edicit se velle animi moerorem in querelas effundere idque libere i. e. *os non continere*, non comprimere (hebr.) sed *loqui in angustia* et tribulatione *mentis* et *lamentari in amaritudine animae* (hebr.); proinde unum illud levamen sibi vult concedere, ut clamoribus et vocibus querulis dolores et animi pondus exoneret, ut impetum lamentationum non refrenet. Quare luce clarius est, ad verba sequentia applicandam esse illam regulam hermeneuticam, de qua ipse Iobus 6, 26 *in auram verba afflicti*, neque sermones hos ad verborum rigorem esse exigendos. Qua in re aliqui interpretes recentiores Iobo iusto iniquiores se praebere non verentur. Bene vero vim huius versus expendunt *S. Thom. Pin. Cord. Vav. W.*

Primum quod eius animum percellit est, quod homo fragilis ac debilis tantis a Deo exerceatur suppliciis; unde v. 12 « *numquid mare ego sum aut cetus, quia circumdedisti me carcere* »? — hebr. *quia posuisti mihi custodiam*; bene *Cord.*: « adeone tibi visus sum ferus ac noxius inter homines, ut in huius corporis aerumnosi carcere tot plagis me deprimere, vincire et compescere a violentia oportuerit »? Mare aestuans certis finibus quasi repagulis a Deo concluditur; cf. Gen. 1, 9. Ps. 103, 7. Iob 38, 11. Prov. 8, 29. Ier. 5, 22. « Aut sum bellua aliqua immanis et ferox, quae ne aliis exitio sit, caveis et clathris includitur »? *Men.* Continuo enim, immo etiam in somno et per noctem se cernit a Deo infestatum; ita v. 13 « *si dixero : consolabitur me lectulus meus et relevabor loquens mecum in strato meo*, v. 14 *terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties* »; — i. e. si a nocte et a strato mihi aliquid levaminis polliceor, si mecum cogito : imminuet, *auferet gemitum meum stratum meum* (hebr.)

hanc vitam minime rediturum nec consueta munia obiturum, ostenderet... probabilis quidem (πιθανή) est haec interpretatio, prior autem verior, quod iustus ea quae sunt de resurrectione ignoraverit, unde et admiratione maiore dignus est, quod tale nihil sperans virtutem summam ostenderit ».

1. Ita transitus ad sequentia immediate fiunt ex antecedentibus, quare *B.* perperam opinatur : « stichus sequens hanc poscit suppletionem : tu non retines animam meam a fovea ».

i. e. somno demum obliviscar dolorum vel saltem onus erit levius, tu dormientem persequeris et terres et excrucias somniis et obiectis spectris et terrificis visionibus novo quodam horrore me concutis, terriculamentis me turbas (*Cod. Cord.*). Particula כִּי uti notum est, causam saepe affert, quare bene *vulg.* aliique : *per visiones me horrore concutis*, neque opus est cum *Del.* interpretari: ex visionibus me horrore et terrore excutis et exturbas. Solent morbo elephantiaco laborantes noctes partim ducere insomnes partim molestis somniis angi. *S. Chrys.* censet probabile esse, Iobo ab ipso daemone eiusmodi terriculamenta fuisse immissa; certum id esse asserunt *Phil. exp. in. Pin.*

Tantis igitur exagitatus malis quid praeoptet, dicit v. 15 « *quamobrem elegit suspendium anima mea et mortem ossa mea* » ; — clarius ex hebr. : *et optat* (praeoptat, mavult) *suffocationem anima mea, mortem prae ossibus meis* (potius quam ossa mea) ; sensum esse comparationis *malim mori quam talia sustinere* patet ex particula כִּי ; mors ei magis videtur optanda *quam ossa haec*, ad quae corpus est redactum, quam manere et habitare in ossibus (*Malv.*). Morbus elephantiacus respirandi difficultatem et suffocationem revera secum affert (*Ros. Del. W.*), unde Iobus optat, ut morbus tandem penitus eum absumat atque conficiat. Simul extremam maciem morbus ille efficit, quare apte *ossùm* [1] mentionem facit. Porro animi moerorem pandit et quanto taedio afficiatur v. 16 « *desperavi* » ; — hebr. *aversor*, abominatus sum, taedio affectus sum; alii, uti supra v. 5 : contabesco vel sanie diffluo (*W. B.*); « *nequaquam ultra iam vivam* » ; — i. e. nullo modo vitam hanc miserrimam produci velim; ita denuo taedium vitae mortisque desiderium prodit. Aliud parumper in textu hebr. cui LXX quoque et *Syrus* et *Chald.* concordant: *non in perpetuum vivam* i. e. cum acerba quadam irrisione dicit : sane nullatenus vellem in tali miseria vivere in aeternum; vel est litotes : brevissimo tempore consumptus ero. Satius est mori, quam durissime affligi. Unde Iobus modo mortem exoptat (v. 15), modo levamen et solamen in aerumnis. Hoc nunc expetit « *parce mihi* » ; — vel ex hebr. potius *desiste a me*, omittas me (*Cod. Mar. Malv. Vav. Le Hir*); flagitat, ut Deus qui eum affligit, recedat, retrahat manum percutientem; « *nihil enim sunt dies mei* » ; — hebr. *nam halitus* (*sunt*) *dies mei* i. e. vita et celerrime elabitur et vilis est (*nihil*), unde Deum rogat, ut nunc sibi misericordiam

1. Quare *B.* immerito textum mutat legens *aççebotaj* dolores mei; at *ossa* legerunt et verterunt LXX, *Sym. Syrus, S. Hier.* Perperam quoque *Hitz.* vocem hanc notissimam aliena prorsus significatione donat *vinculum, torques*, ut innuat, Iobum voluisse se *torque* strangulare. *Le Hir* censet *ex ossibus meis* intelligi debere de intimo desiderio : je l'appelle de tous mes vœux (la mort) et confert Ps. 35, 10. Sim. *Renan :* mes os ont appelé le trépas; iam *Malv.* quoque inter alia explicat *ex intimis medullis, expidissime.*

exhibeat, cum post brevissimos dies iam non possit esse locus et occasio favoris ei praestandi, simulque vitae humanae fragilitate commemorata misericordiam implorat. Id in sequentibus latius prosequitur. v. 17 « *quid est homo, quia magnificas eum* »? — i. e. miratur, cur Deus hominem miserum *tanti faciat*, ut scil. tamquam antagonistam eum sibi opponat, cum quo congrediatur, quem magnis et continuis aerumnis cruciet. Est igitur honor ille *ironice* dictus : an operae pretium est, homuncionem tam attenta cura persequi et vexare? Ita rite versum accipiunt *Malv. Vav. Tir. Calm. W. Zsch. P.*; sensu igitur contrario haec verba usurpantur quam Ps. 8. Id h. l. contextus (cf. v. 12. 18. 20) plane exigit, quamvis aliqui verba haec eodem sensu quam Ps. 8 accipiant (cf. *Pin. Cord.*); ironice quoque ait « *aut quid apponis erga eum cor tuum* »? — i. e. sedulo attendis animum ad eum; nonne plus illi quam pro merito defertur, si illi affligendo et puniendo Deus curas intendat (*Calm.*)? Nunc iam ipse declarat, qua in re honor iste a Deo homini impensus et attentio ille magna consistat v. 18 « *visitas eum diluculo* » ; — hebr. *per* (*singula*) *tempora matutina eum visitas* afflictione et castigatione « *et subito probas illum* » ; — hebr. *per momenta* i. e. singulis momentis *eum exploras*, examinas, in eum inquiris (*Malv. Calm. W. Le Hir*). Ita dolore exulceratus continuos suos cruciatus diurnos nocturnosque tamquam assidua Dei flagella sibi incussa lamentatur Deique in flagellando assiduitatem, diligentiam, studium miratur. Unde cum expostulatione quadam exclamat : v. 19 « *usquequo non parcis mihi* »? — hebr. *quamdiu* (*quousque*) *non avertes oculum a me?* i. e. quamdiu non cessabis a tam assidua cura et vigilantia contra me? Quamdiu vultus tuus iratus in me erit defixus? Averte illum parumper! « *nec dimittis me ut glutiam salivam meam* » ; — i. e. quamdiu non sines me, non recedes a me affligendo, dum glutiam; per tantum saltem intervallum, quo ad glutiendam salivam indigeo ? Minimo saltem momento levamen mihi concede; adeo continenter dicit se vexatum, ut ne traiiciendae salivae spatium quidem sit a dolore vacuum. *Salivam glutire* modus est loquendi proverbialis (cf. *Pin. Cord. Sa, Malv. Mar. Men. Vav.*) apud Arabes etiam usitatus (*Ros. W.*) ad brevissimum tempus significandum, quare aliae explicationes, Iobum adeo aestu et siccitate faucium vel angina laborare, ut deglutire non valeat, vel ad tantam virium imbecillitatem fuisse redactum, omittendae sunt.

Iam sua sponte in adversitatibus enascitur quaestio, *cur* homo adeo affligatur. Ea animum etiam Iobi vehementer pulsat. Unde v. 20 « *peccavi, quid faciam tibi* »? — i. e. esto quod peccaverim (*S. Thom.*), uti amici contendunt (est oratio concedentis *Vav.*); quare merito LXX et *vet. lat.* « si ego peccavi, quid possum tibi facere »? Phrasis haec

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

מָה אִפְעַל לָךְ quae eadem infra 35, 6 et 22, 17 occurrit, potest significare : *quid noceo tibi, quid mali tibi infero*, etsi ego peccaverim; et ita eam recentiores communiter accipiunt, quem sensum *Pin.* non reprobat, reiicit vero *Calm.* Alii exponunt : quid agam et tibi praestabo, ut te reddam propitium, quomodo me geram erga te « *o custos hominum* »! — qui hominem acerrime observas, exploras, vigilantia tua circumdas (v. 12), qui oculum vigilem et vindicem in omnes intendis! Uter sensus sit praeferendus, difficile est dictu. At loci infra allati, animus Iobi exulceratus, ipsa appellatio Dei custodis hominum et observatoris acerrimi et expostulatio subsequens priorem interpretationem commendant. Miratur Iobus scil., quomodo Deus adeo in ipsum animadvertat « *quare posuisti me contrarium tibi et factus sum mihimetipsi gravis* »? — bene hebr. וַיְּשִׂמֵנִי explicari potest : quare posuisti me in *scopum tibi* i. e. in metam, in quam scil. eiaculeris furorem tuum et tela (cf. *Malv.* IV. *Cod. Pin.*), uti 6, 4, veluti hostem quem ferias (*Sa*); at minime sum ferendo ictus tuos, cum meipsum measque miserias ferre diutius non possim (*Tir.*); vel potius ita Deus in eum incurrit, ut sibi ipsi factus sit oneri (hebr.) [1] Iobus. Quomodo enim Deum sustineat hostem? Unde instanter flagitat, ut aerumnas tollat; esto peccaverim v. 21 « *cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam* »? — cur tardas remittere? Urgens est petitio; rationem addit : si nunc non parcis, iam propediem non es habiturus, cui possis parcere, brevi enim moriar. Itaque denuo vitae brevitate ac miseria proposita petit, ut extremum demum vitae spatium sibi cedat tranquillum : « *ecce, nunc in pulvere dormiam, et si mane me quaesieris, non subsistam* »; — *nunc* per hyperbolen ex animi commotione ortam dicit pro *brevi, brevissimo tempore* occumbam, id quod etiam altero hemistichio enuntiat. Accelera igitur Domine, quamdiu excipiendis tuis beneficiis par sum (*Calm.*).

Quamvis igitur recentiores quidam falso prorsus et inique has querelas interpretentur — censent enim Iobum ad id audaciae progredi, ut Deum tamquam hostem suum infensissimum describat eumque et iniustitiae et crudelitatis accusare non vereatur — tamen verum est, Iobum viam inire periculosam, quia tanto cum impetu scire vult, *cur* patiatur, et quia cum animi quadam acerbitate Deum dicit accurate in hominem invigilare, ut severe puniat, si quid illum errasse et peccasse deprehenderit. Sed simul perpendendum est, Iobum in hanc inquisitionem protrudi stulto illo et acerbo modo agendi amicorum.

1. Vel secundum traditionem hebr. de Tiqqun sopherim *cur tibi factus sum oneri*, cui LXX et *vet. lat.* concordant (cf. *Cod. Pin.*) et quam *Houbig. B.* adoptant. *Syrus* vero et *Chald.* legerunt, uti textus mas. habet עָלָי.

II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. CAP. 8-10.

1. SERMO A BALDAD HABITUS. CAP. 8.

Arg. — Iobi orationem Baldad ita concipit (uti recentiores quoque Iobi obtrectatores), quasi Deum iustitiae violatae arguisset, unde divinam iustitiam suscipit defendendam asserens filios Iobi propter peccata iuste esse punitos, Deum autem humiles Iobi preces non repulsurum (v. 1-7). Dein ex maiorum sapientia probat, impiorum prosperitatem non diu durare, sed subito excipi ruina (v. 8-19), pium vero non abiici; quare Iobo spes futura sit, si pietatem instauraverit (v. 20-22). — Simili modo uti Eliphaz Baldad quoque sermone suo peccat alias non agnoscens Dei castigationes quam ad peccata et scelera punienda inflictas, quare in Iobi verbis iustitiae divinae accusationem deprehendit.

a) Deum iuste punivisse, at accepturum preces humiles 8, 1-7.

Quamvis Iobus ab amicis petierit, ut magnitudinem dolorum perpendentes ipsi saltem ne addant molestiam, ut sint aequi bonique iudices, tamen (quod novum est patientiae tentamen) acrius Baldad in eum invehitur : v. 2 « *Usquequo loqueris talia* »; — bene *Cord.* : « Baldad non uti Eliphaz urbana quadam praefatione sed ex abrupto verbis indignatione plenis utens, usquequo, inquit, verba haec ventosa ac vana effuties »? « *et spiritus multiplex sermones oris tui* »; — hebr. *ventus* (spiritus) *vehemens* i. e. similes sunt vento vehementi, tumidi sunt, iracundi simulque vani, aerem verberantes quidem sed sensum verum ac pium non resonantes. Quid adeo ei bilem commoveat, explicat dicens v. 3 « *numquid Deus supplantat iudicium aut Omnipotens subvertit quod iustum est* »? — i. e. numquid Deus pervertet, inflectet, supprimet ius et num Omnipotens id quod aequum et iustum est convellet? Falso id colligit Baldad ex verbis Iobi 7, 12. 17. 20. 21, quae est simul acerba accusatio et ad animum Iobi exulcerandum facta, ac si dicerem homini misero : nuncne sentis Deum esse *iustum*? Apposite rem expendit *Ol.* : « Dei patrocinium suscipiens in eundem errorem cum Eliphaz lapsus est. Et sane amicorum chorus sub larva communis affectus et doloris animum hostilem ostendens ad eum accesserat; prostrato enim insiliunt et alii alios insequentes et gyros innumeros ducentes ac choream mo es am saltantes nec respirand